

SEPTIMVS.

In tempore igitur 391. annorum Aegyptiorum, qui inter duas fuerūt considerationes, stella hæc suam seruans latitudinem, 3. gr. 55. m. mota est, quare in 100. annis, quemadmodum superius, unus respondebit gradus, quod hucusq; quæsiuimus.

PROPOSITIO VI.

De motu stellarum fixarum quid alij senserint explanare.

¶ In ciuitate Araçta diligentissimus Philosophiæ Albategni anno 1191. Ad hilcarnam siue Alexandri magni completis, siquidē à principio regni Nabuchodo. 1626. annis stellas fixas considerauit, & loca earum eis quibus in tempore præterito uidebantur conferebat. Differentiam quoq; locorum in tempus medium distribuit, quatenus haberet motus unius quantitatem. Stellam enim septentrionalē ex tribus quæ in fronte Scorpij sitæ sunt, depræhendit ipse in 17. gr. 50. m. Scorpij, quæ quidem Mileo Geometre, quemadmodum recitatum est, uidebatur in 5. grad. 55. m. Scorpij. Oportuit igitur stellam in tempore medio duarum considerationum motam esse per 12. gr. 55. m. est autem tempus illud 782. anni ægyptij, quoniam Mileus anno à principio regni Nabuchodo. 845. suam perfecit considerationem. Si itaq; ex hoc tempore medio uni gradui suam dederimus portionem, uidebitur stella ipsa in 66. annis solaribus ferè mota per unum gradum. Simile fecit ipse p̄ alias stellas. Nam cor leonis, quod Ptolemæus in 2. gr. 10. m. Leonis considerauit, inuenit ipse in 4. gr. 50. m. eiusdem. Quidam uero antiquorum putabant Sphæram stellarum fixarum moueri continue ad orientem, donec 8. gr. itinere suo describeret, deinde redire ad occidentem mouendo tantundem, postea uero motum pristinum reuerſi affirmabant. Vni autem gradui 80. annos dederunt. Partim ex hoc inducti, quia per Solis maximam uarietatem, & quantitates annorum solarium comperiebant uarias, sphæræ octauæ motum trepidationis opinabantur. Siue igitur instrumentorum incertitudo hanc uarietatem immiserit, siue motum quendam adhuc nobis occultum stellis fixis natura indiderit, difficile admodum est & erit, huius motus qualitatem eniti, propter tarditatem eius. Nam si maiores nostri suis decepti sunt instrumentis, & nos decipiemur necessario, cum nostræ considerationes, nisi antiquorum conferantur obseruationibus, nihil unquam edocebunt. At si occultum illum motum inesse stellis æstimabimus, expediet oculum ad stellas fixas habere assiduū. Posterorūq; itidem scriptas considerationes liberare.

PROPOSITIO VII.

Stellæ fixæ quantum ab Arietis initio & ab egyptica ipsa distent, instrumenti ingenio compræhendere.

¶ Dùm superius locum Lunæ cupiebas, instrumentum armillarum Sole rectificabas. Nunc uero quoniam Sol adhuc supra horizontem manens, stellas fixas apparere non sinit, per locum Lunæ uisum certe numeratum instrumentum aptabis, & quamlibet stellarum, donec per utrunq; regulæ foramen ad oculum radiabit considerabis, mox enim uelut in Luna, & longitudo & latitudo cognoscetur.

Propositio